

bentur à dantibus operam Civilibus Sanctionibus Libri D. D. Antonij Pichardo, ut interea Philosophos prætereamus & Rhetoricos ac Grammaticos, alijs addictos legibus, nec tamen subductos Rectoris curæ.

703 Adhæc excitandis amplius nobilibus ingenijs præscribit habendas quotannis geminas à Theologis totidemque ab studiosis Juris publicas in Universitate concertationes, quarum Majorem alteram dicunt, aliam Minorem, suffragijs Sodalium ejusdem Aulæ ijs committendas, qui doctrinâ reliquis præsent, & qui pro minoribus destinantur, duodecim ex assè titulos multis gravidos controversijs defendant, 24 verò per integrum diem operam daturi Majori, non exiguis Collegij sumptibus, grandi verò profectu & gloriâ. Quo autem anhelantibus ad Scientiarum culmina faces adderet, annuos redditus destinavit pro expensis erogandis in Doctoratus apice Theologici à Sodali petendo, tum etiâ in Licentiæ gradu Juris Canonici ab hujus professore Facultatis optando, præmissis in Gymnasio Collegij austerioribus probationibus scholasticis, quas Academia nostra perpetuo & ineluctabili more tenet pro convestendis Insularum candidatis & petitoribus. Cathedram etiam pro Magistri Sententiarum aperiendâ doctrinâ in Universitate à Collegij Sodalium probatori insti-

tuendam curavit à Catholico Rege nostro, Academico Confessu annuente etiam & postulante, destinato è Collegij proventibus honorario, & verò postquam primo secundoque quadriennio huic strenuè suggestui incuberant Moderatores, justis de causis, ea ut se abdicarent provinciâ opportunius existimavit.

704 Nec verò in litteris duntaxat, quæ diximus incrementa Collegio dedit, sed in Aedibus, quas à fundamentis excitavit, amplissimis: Quod enim atrita tempore fabrica esset, & quamquam ampla certè, angustior in dies pro confluentibus convictoribus, vastissimam juxta & politissimam aggressus est molem, cui vix parem etiam in Europa inveniri exteri homines & per multa vagati testantur. Ut est Religiosissimus, Sacellum in primis condidit nobilissimum, & sacra suppellectili omni augustissimum. Ad extremum deducentem magnificentissimum opus R. admodum P. Præpositus Generalis Soc. JESU Mexicanæ Provinciæ regendæ admovit anno 1743, quam religiose simul & prudenter est moderatus. Absoluto munere Provincialis, & caput & absolvit eidem auspicio fidere conjunctam Sanctandreano Collegio Mexiceo, Instituti sui, magnitudine insignem & venustate Domum, pro ijs qui secedere optaverint viris octiduo aut amplius, Deo negotioque animæ va-

inter Fideles. Expeditum prælo Opus habet, quod legimus, asceticis valdè utile, hispano sermone

Arma Spiritus pro asserendâ divinâ gratiâ ab invasionibus demonis, mundi & carnis. Duabus partibus in octavo. Habet præterea *Sermones panegyricos.*

Sermones morales pro sacris expeditionibus.

Conciones de Doctrina Christiana, Indulgentijs, & Contritione.

706 D. CHRISTOPHORUS GRIMALDO DE HERRERA, Natione Mexicanus, in ipsa Imperiali Urbe nostra claris genitoribus ortus, in Majori Divæ Mariæ & Omnium Sanctorum Collegij Maximi Mexicani in Libro hujus argumenti ad annum 1723.

Cursum Philosophicum à primordijs Summularum ad postremas usque Aristotelici Systematis Tractationes, cujus exemplaria plura habentur à Discipulis custodita, & pretio etiam ab alijs Doctoribus habita.

Varia pro Sacrorum Bibliorum enodatione. Mss similiter.

Conciones iidem hispanas, Prousiones latinas, & Opuscula alia. Mss.

705 F. CHRISTOPHORUS DE ESPINOSA A CONCEPTIONE, Natione Mexicanus, apud Mexicalzingo genitus, severiora S. Francisci instituta in Provincia S. Didaci Mexicea professus, vir doctus & pius, Missiones sacras & inter barbaros egit difficilia loca incolentes, & urbanas etiam

inter Fideles. Expeditum prælo Opus habet, quod legimus, asceticis valdè utile, hispano sermone

Muneri suo strenuè adeò invigilavit, ut difficilia quæque negotia, quæ coram se & Socijs agitabantur, libraret ad trutinam, consultisque utrimque Libris ac momentis gravioribus, Opusculum ad singulas controversias ornaret, ut subinde conscripserit.

Varias Juris resolutiones Tom. 22.

Porro multa ab eo profecta Volumina, penes ipsum, ea tempestate, stantia, restis est D. D. Salvator Sylvestre de Velasco & Herrera, Canonicus Hispalensis Ecclesiæ Collegiæ SS. Salvatoris, in Nuncupatoria ad Collegium Majus Mexicæum Divæ Mariæ Omnium Sanctorum, Libro præfixa, cui titulus *Scala mirabilis, seu Vita S. Petri de Arbues*. Numero autem ea fuisse Volumina 22 traditio est à majoribus accepta Togatis, qui ejus nobis copiam fecere, & accuratissimi cum sint in Sodalium monumentis servandis, isthæc quæ Nostri memoravimus exoptantes, necdum habentes, vastissimâ obfistente locorum distantia, locupletissimis testibus nixi recensent. Scripsit præterea hispano sermone

Allegationem juris D. Anne de Torres in lite adversus ipsam mota, Ædium, quas possederat, causa. Extat Mss in fol. tom. 24 Mendozianæ Collect. fol. 60.

Allegationem tuendi ergo juris D. Joannis del Rosal Presbyteri, ad beneficium, vulgò Capellania, Hospi-

ralis Domus Mexicæ à Conceptione. Mexici 1639 tacito nomine Typographi, habeturque ab eodem Mendoza inter Opuscula non dum compaginata.

Meminit ejus D. Carolus de Siguenza, in Triumpho Parthenico fol. 89 col. 2 & Plaza in Chronicis Universitatis Lib. 5. cap. 17. n. 215.

+ 707 D. CHRISTOPHORUS GUERRERO PEDRAZA, Natione Mexicanus, Angelopoli ortus, in statu profano litteras humaniores apprimè excoluit, & hispanis numeris multa scripsit, è quibus aliqua typis esse edita Author nobis est D. Didacus Bermudez de Castro in de Angelopolitanis Scriptoribus syllabo n. 149. Nos verò hæcenus effugerunt Opuscula.

708 D. CHRISTOPHORUS GUTIERREZ DE LUNA, Natione Mexicanus, & nisi fallimur, etiam Patria, cujus præter quæ subjicimus, Opera, professio, alia quæ latent, scripsit hispano sermone

Memoriale Tractatus de Angelis in quarto, propterea nuncupatum Illmò. Archiepiscopo Mexicano D. D. D. Petro Moya de Contreras, jam tum Indiarum Patriarchæ, quòd eximiam in SS. Angelos pietatem Mexici fovisset & propagasset. Extat Mss in Bibliotheca Collegij Maximi Mexicani Societatis JESU.

Vitam & heroicæ virtutis Illm. D. D. D. Petri Moya de In-

Contreras Archiepiscopi Mexicani, Indiarum Patriarchæ &c. Habetur in eadem Biblioth. & sub eodem Volumine

Narrationem & Compendium breve ac summarium prænotabilis Ducis D. Ferdinandi Cortezij, Marchionis à Valle &c. Itemque ejus in Expugnatione Novi hujus Imperij Sodalium, animo præstantium virorum: Prætereaque ejusdem Imperij Archiepiscoporum & Episcoporum. Asservatur in mox dictis Bibliotheca & Volumine, quod opinamur unum ex illis esse quæ D. Carolus de Siguenza & Gongora coacervaverat, moriensque PP. Jesuitis reliquit.

+ 709 D. CHRISTOPHORUS GUTIERREZ DE MEDINA, Natione & Patria inexplorata nobis, Doctoris infula insignis, Parochusque apud Metropolitanam Mexicæam Ecclesiam, ab eleemosynis Excmò. Pro-Regi Marchioni de Villena, edidit vernaculo idiomate

Concionem de SS. Deiparentis Nativitate, in petitione Canonici Magistralis. Mexici, typis Joannis Ruiz 1646 in quarto.

+ 710 D. D. CHRISTOPHORUS HIDALGO BENDAVAL, Natione Mexicanus & Patria, Medicinæ cultor & Doctor in Universitate nostrâ, Cathedram Chirurgiæ & Anathomix regere incepit die 29. Novembris anno 1621 rerum potiente Academicarum eximio viro D. D. Joanne de Salcedo. Tradidit è suggestu

Mmmmm

Lectiones Chirurgicæ & Anatomicæ,

In quibus eam etiam laudem est assecutus, quod primus in Academiâ Mexicanensi quam memoravimus Cathedram moderatus fuerit, ut legere est apud Plazam in Chronicis Universitatis lib. 3. cap. 28. n. 148.

+ 711 D. D. CHRISTOPHORUS DEL HIERRO GUERRERO, Natione, ut conjicimus, Mexicanus, utriusque Juris cultor in Academiâ Mexicanensi, Doctoris laureâ insignis, multas diuque Cathedras rexit, primum Institutionum, mox Sexti ad tempus, deinde Codicis Justiniani, & tandem Gratiani Decreti, professiones auspiciatus jam inde ab anno 1609, ut habemus ex Chronicis Academicis à Plaza exaratis lib. 1. n. 50. 81. 225. Scripsit

Tractationes varias ad utrumque Jus spectantes, quarum argumenta singularia nos fugiunt.

+ 712 D. CHRISTOPHORUS MANSO DE CONTRERAS, Natione, ut videtur, Mexicanus, & Antequera Goaxacensem clarâ naturæ stirpe, inter ejusdem Urbis Rectores merito adscriptus, Villæ de Guadalcazar Prætor, Vicarius que generalis Ductoris armorum, litteris expolitus, edidit hispano sermone

Enarrationem certam eorum quæ tumultuantibus Indis apud Villam de Guadalcazar in Provincia Tehuantepequensi evenere à die 22. Mar-

nij

ij anno 1660 ad usque 4 Julij 1661. Mexici, Typis Joannis Ruiz 1661 in quarto. Habetur in Collect. nostris tom. 62. Meminit Authoris & Opusculi Pinelus col. 604.

713 FR. CHRISTOPHORUS MARTINEZ DE LA PUERTA, Natione Hispanus, in Bærica fortis est cunabula, Urbe aut Oppido nobis ignoto, Historiographumque infra dandum, ut videtur, latente. Parentes claro genere habuit, Martemque in adolescentia sequutus, anno circiter 1600 Joannem de Monasterio Præfæctum navis Honduras Americæ nostræ Provinciam petituræ, comitatus, ubi Truxillum appulit, sub ignoti nobis vexillo Ducis stipendia meruit euntis versus Ripandivitem, vulgo Costarica, paganorum gratiâ conquirendorum. Frequentissima sanè infidelium multitudo inibi degens, sacrisque nostris recipiendis aptissima, christiani animum militis egregiè commovit tradendæ tot Barbaris Fidei zelo, atque in hunc se propositum comparandi. Hinc Goatemalam, Urbem non longissimè dislitam petens, ut in Seminario Cathedralis Collegio recens institutò adscriberetur institit, cujus cum Rectores postulatis abnuerent, quòd Sodalium numerus cum haud caperet, famulis tamen ipse aggregari discupiens, voti compos effectus est. Abjectissima quæque alacri animo ministeria tandem subiit, donec casu agnitus

à gentili suo, & productis de nobilitate generis testibus, quæ Collegij Statutis præscribitur, trabecâ donatus, imbibendæ quantæ optabat latinitati totas incubuit, sic tamen ut orationi cæteris que virtutum exercitijs (quod antea usu tenuerat) quietius operam daret. Erat propterea exemplo & admirationi Collegis, tam que biennio sufficienter in Grammaticis institutus, & Ecclesiasticis ministerijs addictus, ut faciliè ad Ordines sacros fuisset promotus, modò alicujus Beneficij titulum comparasset.

714 Annos natus 22, & verentente seculi proximè convoluti secundo, 17 Octobris Seraphici Ordinis habitum induit in Cœnobio Goatemalensi, Provinciæ à SS. JESU Nomine dictæ, Primario, actoque religiosissimè tyrocinio, professus est. Regulari institutorum observantiæ exactissimæ austeriorem longè sibi disciplinam præscripsit, ceu qui Martyrio proluderet, quod anxie cupiebat. Singulis noctibus post absolutas in choro cum Sodalibus Matutinas preces, reliquum temporis castigando corpori, cælestibusque meditandis rebus tradebat, in memoriam patientis JESU, è vacerrapulis in alto defixis, suspensus tres horas, & mox alteram aut duas asperrimis se flagellis discrucians. Adhæc, cilia atque asperitates plurimas jejunijs, nuditati, & innumeris incommodis perpetuò adjecit.

Phi-

715 Philosophiam & Theologiam doctus in Goatemalensi Conventu, egregiè profecit, adco ut Prædicatoris munus multum cum laude obierit & gloriâ Dei ab salute animarum strenuè procuratâ, quas vel à peccato revocavit, vel in christianâ virtute instituit: Confessionibus sacris audiendis deditus, spirituales quibusvis ad se venientibus ducem se præstitit egregio eorundem in christianis virtutibus incremento. Præterea Goatemalæ primùm, post Chiapæ in Civitate Regia, Latinitatem tyronibus Familiam tradidit, & alibi agens Paganorum exteris juvenibus instituendis latinè, qua erat erga omnes charitate, sponte sua intendit. Nonnunquam novitijs Goatemalensis Domus præfæctus, exemplo vitæ austerissimæque mortificationis efficacius longè quam monitis, eos ad religiosam perfectionem apravit. Agit licet valetudine affectus, duriori, quam tenebat, penitentia & in agendis defatigatione, jubentibus Prælati ut in Oppida Indorum pergeret addiscendi Idiomatis gratiâ, paruit, exalceatusque & pedes Cœnobium ab Anunciata Virgine dictum petijt, quo loci eximia dare probitatis exempla perrexit, asperrima devorans viarum incommoda, nunquamque vectus equo in montanis & confragrosis supra quam dici potest difficillimis & asperrimis. Hæc ille circumibat pro Sacramentis mini-

strandis, concionibusque ad Indos habendis, quos paternâ dilectione complectebatur. Pænitentiâ infectis luc, nihil præsentissima faciens vitæ discrimina, adfuit, destitutisque omni subsidio ut opem ferrent, conterminos Populos vehementi sermone commovit, charitatis præstantiam luculenter illis exponens.

716 Hæc inter diu noctuque gentiles pridem à se agnitos apud Teguzgalpam recogitabat, quorum desiderio conversionis, & literis & religiosi institutis se dederat, atque ut Deo ad id muneris eum vocanti prævenienti que responderet, vota demum sua perantiqua Provinciali suo exposuit, ipsum per Epistolam rogans vellet postulatis acquiescere. Evocatus ab illo, è Chiapæ Goatemalam revertitur, multisque à gravioribus Provinciæ viris examinatus, quamvis arduum supra modum opus existimantibus, vix que, ac ne vix quidem citra vitæ periculum aggredi posse jure verentibus, retractisque recenti Sodalium exemplo duorum, qui mortem ea in expeditione à barbaris illatam oppetierant; nihilo tamen minus voti compos efficitur, quòd ejus perpenfis actis & desiderijs, cæterisque rarioribus documentis, ab Spiritu sancto agitari doctissimi Patres non dubitarent. Datus illi comes fuit ejusdem Provinciæ alumnus P. F. Ludovicus à S. Josepho Betancurtius, eximia itidem conspi-

picuus virtute, quo cum itinere se accinxit Apostolico more, sine saculo, & sine pera, & sine calcementis, præter paramenta sacra rei divinæ conficiendæ, portantes nihil. Nec ab hoc relinere proposito, quod Regius Auditor D. Joannes Maldonatus in Honduras negotiorum causâ Regis profecturus, secum eo usque pergere illos voluerit, quibus & Fraciscanis omnibus devotissimus erat. Ea enim illi lege concessere invitanti, ne ab strictiori observandâ Regulâ sua desciscere cogentur. Devoratis terrestri itinere molestijs immanibus, Myoparones geminos inscenderunt, quorum altero Ludovicus cum Auditore 20 que militibus vehebatur, Christophorus altero cum totidem militibus & Duce Joanne de Padilla. Omnibus tamen sevâ tempestate jactatis, Nostroque cum Socijs tantum non à fluctibus hausto, cupienti que in promontorium Deo gratias nuncupatum deponi, in Parias Indos abituro, quos inquirebat, secus nauclero, Duci, & reliquis placuit, opportunius judicantibus ad Truxillum reduci, indeque redordiri navigationem securâ navi, inventoque Ludovico Sodali, quem in altero Myoparone eo appulisse non ambigebant. Falsi minimè opinione sua fuisse res docuit, probaruntque in mutuos amplexus venientes utriusque Myoparonis Sodales vitam sibimet gratulantes,

præque læticia in Truxillo gestientes.

717 Noster inde ac Socius Goatemala se sistere è re sua existimarunt Provinciali recens electo, quem laturum agrè credebant, momentis gravissimis, si cursui insisterent, cui videretur Deus oblectari. Benignè acceptos in Conventu Primario jussit Præsul requiescere, moxque in Quadragesima prædicationi, auditionique confessionum operam dare, quibus ipsi ministerijs egregio animarum fructu incubuerunt. Noster dein ab memorato Auditore Regio sollicitatus comes itineris, quod proximè erat instauraturus, bonâ cum Superioris veniâ pedes, ut prius, viam confecit præduram, maturans interea suam in gentiles profectio-nem, & cui inhiabat, præstolatus opportunitatem. Redux, ut acceperat in mandatis, avidius cogitare suos Indos pergebat, modo his voris Provincialis obsecundaret, qui tentandi cum gratiâ in Cænobium amissit disscum, quo usque decretorium judicium ferret. Erant sanè ea de re opposita Religiosorum sapientum placita, opinantibus alijs acclive esse negotium, totque difficultatibus involutum, ut nulla successus spes sublucere, quod pro inde tentari prudenter non posset, alijs contra sentientibus, Christophorum ad id officij excitatum à Deo esse, nec ejusdem oportere desiderijs obistere, impigro ani-

animo exantlandis parati laboribus.

718 Hæc cum ipsum laterent minimè, longâ ad Provinciam suam Epistolâ suas exposuit rationes, & singulis sibi objectis difficultatibus latisfecit, nil obicibus illis cunctatus, quin arduum planè opus aggredereur. Provincialis demum omnibus ad trutinam libratis momentis, Commissarium destinandum ipsam censuit Tapuzgalpæ Nationis, socio addito Religioso Laico F. Joanne de Baena, cunabulis Bætico, habitu autem Goatemalensi, viro egregia virtutis, ultro sedante, quod Ludovicum Betancurtium alijs Præses ipse ministerijs addixerat. Porro quanta illi terra marique pertulerint à Truxillo in Habanam, & ab hac in alias Insulas. Ventis improbis, multisque casibus conflictati ac projecti, Christophorus ipse literis consignavit, & multi, confecto Testimonio autentico, testes dixere, quibus, ne multi sumus, superledemus.

719 Deo tandem adfavente, è memorato Portu Truxillo sollyentes, 16 Februarii 1622 promontorium Deo gratias tenuere quatuor Indis Guanaxuanis comitibus, Interpretibusque apud Parias & Guazacalpanos tot fatigationibus conquissitos. Naviculâ inde cum cæteris omnibus valere jussâ, in vias ipsi terras, prærupta montana, vastasque solitudines pertentarent, vix unum

aliumve Indum longissimè suspectantes, nihilque efferate barbarici rabiem, belluarum pericula, & sexcenta verentes discrimina, modò Christum anuntiare gentibus possent, earumque animas lacrifacere. Biduum transierat, & ecce virorum lanceis armatorum, & foeminarum corollis floridis capita incinctarum turma ipsi objicitur, ad extremumque honoratior cæteris senex comparet, omniumque nomine religiosus viris gratulatur adventum, diuque à se expectos & speratos, inquit gentis idiomate, quod vix non perfectè callebat Christophorus, Interpretes autem Indi & capiebant optimè, & palam dabant. Stupere ad inspecta humanitatis signa Noster ac Socius, & Quid causâ fuisse ut venuros se in terras illas opperirentur seiscitavere. Indus verò senex reposuit, jam diu visum à se in montanâ album colore, facieque venustissimum puerum, isthæc prænuntiantem, pollicentemque sibi, quantumvis gravato annis, non prius vitâ excessurum, quam Christianus fieret eorum ope virorum, qui venturi erant, quosque ipse propterea, constitutis in editis montibus, speculatoribus, præstolatus jam pridem fuerat.

720 Scilicet, bona inter Barbaros indole, & ad misericordiam comparatâ Indus ille, suaverat miseris subvenire, quibus multas destinaverat segetes, industriâ

sua cultas atque labore, lites eorum componbat & jurgia, perinde ac omnium parens & arbiter habitus. Et hunc quidem ignotus ac pulcherrimus Puer quondam altaris, quæ mox diximus adpromisserat, ut subinde visis nostris hominibus, cis unâ & sibi auspiciatissimam senex fuerit diem gratulatus. Gestiebat præ gaudio Nolter cum Socio, eximiasque Deo gratias agebant, Paganos illos ad Ecclesiæ gremium vocanti. Senex autem Indus, & qui eum comitabantur propinqui & amici, strenuam dedere operam ædiculæ pro nostris extruendæ, quam prope Xaruum flumen tumulpariâ ædificarunt contiginatione: moxque amplum, impolitum licet, Templum, confluentibus Patis multis, & conterminis alijs, Christianorum saceris aptum construxerunt.

721 Christophorus interea nil cunctatus, eorumdem invigilans catechesi, Socio ipsum Interpretibus uso juvante, plurimos salutaribus aquis Indes recreavit, in primis autem Senem illum egregiè felicem, qui non diu à suscepto Baptismate in cœlum evolavit, alijs atque alijs quotidie venientibus, ubi fama percrebuit accessus illorum, quos Mōtana Deus (sic enim apparentem senti Puerum vocabant) olim in oras suas & terras appulsuros prædixerat. Accurrebant singulis vespers omnes in Sacellum neophiti, & coram Immaculatæ Deiparæ

tis Imagine, quam Christophorus secum tulerat, in genua provoluti, Virgineum dicebant Psalterium, pijsque alijs exercitationibus Deum ejusque Matrem deprecabantur. Interea, tertio ab accessu Religiosorum elapso mense, Myoparon ad proximius litus appulerat, Parochi Truxillensis Clerici Didaci de Canabere, & convivium diligentia dimissus, invisendi Missionarios gratiâ, eis que vinum & hostias pro Mystério conficiendo, & aliquam provictu annonam subministrandi; qua Christophorus regrediente naviculâ uti opportunam existimavit pro immittendo Goatemalam Socio suo F. Joanne de Baena, qui cum Provinciae Præsidente de rebus Taguzgalpanis ageret, & Religiosum Præbyterum pro novâ illa Colonia sollicitaret.

722 Ritè Baena functus officio fuit, atque ab instructo de amplissima messe Provinciali unâ cum gravioribus Patribus, F. Benedictum Martinum à Sancto Francisco Baticum natu, professione Goatemalensem, qui ultro se, alios inter, obtulerat Apostolico ministerio, & cui jam diu anhelaverat, Martyriodatum secum in Urbem Portuam que Truxillo, inde in Pagum à Conceptione de Xarua (hoc enim inditum recenti Coloniae nomen fuerat) deduxit. Ubi Christophoro se præsentem dedere, quantâ uno ipse anno patrasset, haud

facis

facis poterant demerari: nam adultos 700 sacro fonte expiaverat, parvulosque permultos, & appositè neophitos instituerat: Pagos septem pro Christianis è diversis Nationibus ordinatè condiderat, sua cuique datâ Ædicula sacrâ: idq̄ genus alia pro christiano & politico conventu, gestiētibz incolis, egerat. Tum alias (sunt enim in amplissima Regione quam plures) explorare Nationes cum Socijs constituit, cœlocique in viciniore oras traducti, Guavas & Xacaques (& hos quidem numero formidabiles & barbarie) petierunt, ac omnibus humanitatis & christianæ Religionis officijs curarunt, felici adeo successu, ut plusquam sex mille, omnibus computatis, baptizarent, ædificatisque Sacellis, in Opida, ipsorum victui gustuique congruentia, traduxerint. Ut verò Idioma Provinciae usu jam & conatu Religiosi viri calluerant, negotio animarum expeditiores, intinuis progredi non sum veriti.

723 Non longè à Xicaquanis Albatuinæ distant, qui sua spontè ad ripam fluminis Guampum dicti venientes, ubi Patres agebant, ut ad ipsos diverterent prædicarentque rogabant. Reluctabantur neophiti clam, fraudesque & insidias pro genio Nationis illius valde timentes, Religiosos ab itinere removebant, & ne se illis crederent enixè rogabant; qui tamen nihil obtinationes habentes, falli Indos, ut

aliàs sapennumero, arbitrati, intivantibus Albatuinis acquieverunt. Il porò ut erant reliquis superstitioniosiores Nationibus, caco-dæmone auditò suadenteque ut confoderent Religiosos, prius quam terminos suos attingerent, agmine factò, in casam ad Guampiripam, ubi Religiosi degebant, irruerunt, forti adeo manu, ut neophiti Missionaris suis addictissimi, illis obistere haud quam valuerint. Constrictos ergo funibus, quæ utrasque cuique manus ad tergum devinxerant, per illos circum Pagos deducunt, ubi Evangelium nuntiaverant, sacrasque Ædes construxerant, fannis & cavillationibus vulnera ictusque addentes, quibus nihilo segniores Apostolici viri, monere illos pergebant, ignesque sempiternos innati, quòd Spirituifancto resisterent, & salutis sibi januam obstruerent.

724 Adhæc, effratioribus barbari Christophorum, qui Sodaliibus ad moriendum pro Christo adiciebat stimulos, primum lancea perunt impudentissime, in altumque evehunt ab illa suspensum intima quæque hominis ad collum usque transververante; animam etiamnum agentis manum unam profcudent; laqueum alteri injiciunt, & gurguri innectunt: quòd verò nec his obisset, nec ransonibus & ictibus plurimis, ejus crura, machæris admotis, confringunt, atque inter creciatus acerbos, spiritum ille in

Nz

Jesu

Jesu-Christi manus deponit. Nec mitius cum Socijs egerunt, quos & si in altum haud extulerint hastâ confosos, nec orbaverint manibus, vehementibus quassos ictibus tamen, aliter excruciarunt: nam & cantabricis eorum fregere crura & cervices, quas è nervo pendulas reliquerunt. Ubi gratissimâ Deo animâ cœlum petiere anno 1623 postremis Septembris, aut primis Octobris diebus, diffugientibus Albatuanis tortoribus, & in suas se speluncas abdentibus, Christiani in di in Parentes suos devotissimi, deque ipsorum clade mœstissimi, utat potuere, in eo ubi passi fuerant loco, corpora sepelierunt unâque cum ipsis instrumenta martyrii, tumulum deinceps honori habentes, floribus & id genus alijs superpositis exornantes.

725. Inde, non multo post, Apostolicorum exuvias vitorum in Urbem Truxillanam Provinciæ Hondurensis Gubernator pijsissimus Joannes de Miranda asportavit, eximiâ in eis, quantum fas est, colendis positâ diligentia, & Nostri quidem in Parochiali Ecclesia, Sociorum autem in Cœnobio S. Francisci deposuit corpora, quæ deinum Goatemalam translata in Conventu Franciscanorum item Primario ad presens usque quiescunt in S. cell. S. Antonij nomine insigni. In Guampi verò ripa, quo loc, ut diximus, inelyti mortem pro Jesu-

Christo viri oppetierant, ingentis magnitudinis Crucem ligneam erexit quem memoravimus Gubernator Hondurensis Miranda, tunc cum inquirendorum gratiâ corporum, ulciscendique Paganorum flagitij, eò se contulit: & adhæc usque tempora venerabile signum consistit, additis, ut videtur, prodigio tribus proceris enatis è sepultura Palmis, ceu victoriæ, quam religiosi athletæ reulerant, monumentis. Egregiâ in eos ferantur pietate Hondurenses, Goatemalenses, & finitimæ gentes christianæ, nec sine devotionis usurâ, beneficijs à Deo multis eo nomine obtentis. Noster scripsit uno Volumine hispano sermone

Consultationes sex respondendi ergo difficultatibus sibi objectis in expeditionem Taguzgalpanam se preparanti, & probandi gratiâ licere, etiam cum vitæ periculo presentissimo, illam aggredi sacram Missionem.

Epistolas ad Provinciales suas duas lato calamo, & cis non ab similes quas S. Ignatius Martyr ad Romanos scripsit.

Habentur authographa in Archivio Provinciæ Franciscanorum Goatemlensis à SS. JESU Namine dictæ, ut testis est P. Arochena in Catalogo ad nos dato, n. 1. art. de Scriptoribus hispano usis Idiomatic.

Acta Nostri & Sociorum plenissimè expendit P. F. Franciscus Vasquez in 2. part. Chronicorum ejusdem Provinciæ tom. 2.

lib.

lib. 3 à cap. 10 ad 21, à pag. 466 ad usque 541. Epistolas memoratas edidit p. 487 & sequentibus: & pag. 438 & sequentibus.

726. FR. CHRISTOPHORUS MARTINEZ DE VILLASECA, Natione Mexicanus & Patria, Ord. S. Francisci in Provincia S. Evangelij Regularis Observantiæ alumnus, laudem ab utroque suggestu reportavit vulgarem minime, Philosphiam triennio professus est, & tandiu Theologicis Cathedralis præfuit, donec absolutis 15 scholaribus annis, Emeritus Lector fuit renunciatus. Oratoriam sacram multis excoluit & panegyricis habitis concionibus, & ad formandos motes tendentibus, quæ omnes non minus ab ingenij acumine pulchræ, & ab stylo nitidæ, quam ab arte & doctrinâ commendabiles doctis hominibus visæ fuere. Sacris Virginibus Cœnobij à S. Clara Mexicani Vicarius à Superioribus Provinciæ datus, earum audiendis confessionibus operam dedit, & animis in christianâ perfectione deducendis atque fovendis. Apud S. Inquisitionis Tribunal Cœforem egit, multisque alijs nominibus clarus fuit. Edidit Idiomatic hispano à se habitam in Primario Mexicco Cœnobio PP. Prædicatorum

Panegyrim S. Dominici eorundem Ord. Fundatoris sanctissimi. Mexici, typis Lupercianis 1727 in quarto. Extat tom. 97 Collect. nostræ.

Panegyrim de SS. Jesu-Christi Domini nostri corde. Mexici, ex Typographia D. Mariæ de Ribera 1736. in quarto. Extat in Collect. nostra tom. 14.

Porro è Miss ejus Sermonibus non unus tantum compaginari Tomus posset multi à doctis habendus.

Ineditum etiam reliquit *Cursum Philosophiæ ad mentem Scoti elucubratum.*

Præterea *Tractatus ad Theologiam Scotiarum atinentes*, quorum titulos Symmista ejus, penes quos schedæ erunt, addere dignabuntur.

727. D. CHRISTOPHORUS MILLAN DE POBLETE, Natione, ni fallimur, Mexicanus & Patria, cujus & professio & acta nos latent, scripsit anno 1645 teste Pinelo in Epit. Bibliot. Occid. additæ col. 700.

Mexicana Ecclesia, eorumque redituum & munerum narrationem: Cujus authographum stare in Bibliotheca Consiliarij D. Andrea de Barcia ipse inquit Pinelus.

728. D. CHRISTOPHORUS MORENO AVALOS, Natione Mexicanus & Patria, ni nos conjectura fefellit, Regij Auditorij Causidicus, vernaculo idiomatic publicavit

Testimonium pro Villa S. Fidei, quæ Novi Mexici caput est, contra ejusdem Regni Gubernatorem D. Didacum de Vargas Zapata. Tacitis anno & loco editionis nomine que typographi, ut prius in

Oooooo

hifce

hiscæ Opusculis usus ferebat. Extat tom. 6. Collect. nostræ in folio.

729 P. CHRISTOPHORUS REMIREZ, Natione Mexicanus, Patria Atlisquensis, Diœcesis Angelopolitanæ, Soc. Jesu nomen dedit, à qua & in amœnioribus litteris probatus, & in Philosophia Theologiaque cum primis habitus, Latinitati tradendæ primùm admotus, dein Rhetoricam in Maximo Collegio Mexiceo professus est, Philosophiamque multis publicè exposuit. Quatuor nuncupatis votis insignis, & doctoribus clarus, Rector datus est Regali S. Ildefonsi Collegio Mexiceo, unàque amplissimo Seminario, quod ad præsens moderatur egregio lectissimi cœventus emolumento quotidie incrementa capientis ab strenuâ ejus regimini navatâ operâ. Elogio abstinemus viri novis amicitia conjuncti, cujus alijs propterea reservamus cœmendationem. Scripsit

Poeticam concertationem pro FESU die natalitio numeris celebrando, dato varibus Sceptri Symbolo. Habetur in Libro ejus argumenti plura complectente Opera ad annum 1743 in Biblioth. Collegij Maximi Mexicani.

Cursum Philosophicum à Summis ad supremam usque, secundum Aristotelicum systema, ejusdem Stagiritæ librum; cujus exemplaria sunt multa.

Conciones, Prolusiones, & amœniores alia litteraturæ Opuscula. Mss.

730 FR. CHRISTOPHORUS RUIZ, Natione Hispanus, è Provincia Conceptionis Seraphici Ordinis, in qua professus fuerat, in recentem eâ tempestate Mexicanam S. Evangelij anno 1538 trajecit unâ cum P. Joanne de Gaona alijsque eximijs Sodalibus. Egregiâ virtute floruit, & celestium contemplationi rerum, cui deditus erat, negotia sibi injuncta à Superioribus amicè sociavit. Semel iterumque Primarium Mexicæ Cœnobium rexit, atque inter Provincie adscriptus Definitor, strenuè munere functus est. Magno sibi à religiosissimâ vitâ nomine comparato, ex eodem Mexicano Conventu ad Superos abiit, ut piè creditur, die 25 Maji anno 1550. Edidit hispano sermone

Tractatum de Oratione.

Cujus, post duo & amplius secula, exemplar nos invenisse nullum, mirum non est; habemus tamen testes locupletissimos Nicolaum Antonium in Bibliotheca nova pag. 191. Gonzagam & Wadingum sequentem: itemque Torquemadam in Monarchia Indica tom. 3. lib. 20. cap. 61. p. 525. edit. novissimâ, & Betancurtium in Menologio ad diem 25 Maji pag. 51.

731 D. CHRISTOPHORUS RUIZ DE CABRERA, Natione Mexicanus, apud Villam de Carrion in Valle de Atlisco Diœcesis Angelopolitanæ ortus, Præbyter Secularis, moribus juxta com-

commendatus & litteris, Concionator fuit, non Mexici tantum & Angelopoli, sed in ditionibus etiam alijs, ut propterea Generalem Regni Prædicatorem se in Opere mox recensendo, nuncupaverit. Pro Sacramentis Mexicano Idiomaticè ministrandis publico insignitus titulo, alijs etiam nominibus claruit, Archiepiscopo Mexicano Illmò. D. D. Joanni de la Serna, virisque alijs gravissimis peracceptus. Edidit hispanâ linguâ

Singulares rarosque eventus Mexici, excitatis turbis ad clavum sedente Marchione de Gelves Pro-Rege. Mexici, anno 1624 in folio, tacito typographi nomine. Extat tom. 20. Collect. Mendocianæ, Opusculumque 9 capp. Historiam sanctissimæ cladis absolvit.

732 M. F. CHRISTOPHORUS RUIZ GUERRA, Natione Mexicanus & Patria, post imbibitas Humaniores litteras, Philosophiæ operam dedit atque Theosophiæ, laureamque Magistralem in Academia Mexicanensi tulit, ac procedente tempore Decanum egit Confessus Philosophici. E Præsbytero Seculari, Judiceque Ecclesiastico Tezucanæ ditionis, & Censore apud S. Inquisitionis Tribunal, in Ordinem Hospitalitatis S. Joannis de Deo transivit, in quo emissâ professione, ministerijs incubuit. Sacerdoti congruentibus, ægotantium in Valetudinariis Confessiones sa-

cras excipiens, cæterisque Sacramentis municeps & hortationibus parantes se ad supremum agonem. Conciones in utroque statu frequentes habuit, atque ut erat in amœnioribus litteris & poesi versatus, Oratoria post se reliquit & Poetica monumenta editis Operibus, quæ subjicimus. Hispano sermone excusit Panegyrim à se habitam pro ampliando Catholici Regis nostri Philippi V insigni triumpho ad Villaviciosa relato, cui titulum dedit

Corona hereditario Jure, electione item, & acclamatione quaestra. Mexici, typis Michaelis de Ribera 1712 in quarto. Extant etiam

Triumphalis pompa pro excipiendo Excmò. D. D. Joanne Antonio Vasquez de Acuña, Marchione de Casa Fuerte, Mexicco Pro-Rege, Imperialis Mexicanensis Urbis sumptibus & jussu constructa. Mexici, ex Officina Josephi Bernardi de Hogal 1722 in quarto. Extat in Collectaneis nostris tom. 38. Opusculum est Poeticum latinis hispanisque numeris concinnatum, Augusti exemplari pro inclyto celebrando Pro-Rege ab Authore proposito.

Arcus triumphalis ab insigni Metropolitanâ Ecclesiâ Mexicæ excitatus gratulandi ergo adventum Pro-Regi Excmò. Marchioni de Casa Fuerte. Mexici, eisdem typis & anno in quarto. Extat in dicto nostro tom. Promethei idem sibi vates præfixit, quam hispanâ

ac latinâ poeti in commendationem Herois sui expressit.

Littera fausâ laureata laurusque litterarum festiva, seu, Descriptio solennissimæ pompæ, Concertationisque poetica ab Academia Mexicanâ instituta, præstiti ergo Juramenti recens ad Hispaniarum Thronum evecto Ludovico I. Mexici, ex Chalchographia Josephi de Hogal 1724 in quarto. Liber est amœnissimâ ob oculos exhibens narratione Academica gesta pro dilectissimi Regis inauguratione colendâ, numerosque pulcherrimos ab selectioribus profectos Mexiceni ingenijs, Ludovicum placentibus Philippo susceptum, ecu Herculem Atlanti: Hoc enim illis argumentum propositum fuerat ad Concertationem, cui Noster à Secretis fuit destinatus. Placet porro Epigramma hic exscribere, quod Libro præfixit Christophorum laudans D. Josephus de Villeras, Mexicanus, vir eruditione juxtâ & ingenio in paucis habendus.

EPIGRAMMA.

*Cui dedit Alcide Pater Atlas
omnia, Christum
Christophorus fertur sustinuisse
volans.
Alciden, magnus dat Atlas cui
sceptra Philippus:
Alter Christophorus nunc quoque
portat ovans.
Herculeum gestans graviorem robur
Olympum,*

Hic levat ingenio, viribus ille tulit.

*Nempe, ut cum similis labor ambos
urget, uterque*

*Christophorus felix Herculis adstet
Atlas.*

Ecclesie anima in sacramento charitatis S. Joannes de Deo, seu ejusdem S. Parentis concio. Mexici, mox dictis litteris 1725, in quarto. Extat in Collect. nostris tom. 3.

Zacheus Hospitalarius, seu Pægyrica concio habita in Dedicacione Mexicæ Templi sub titulo S. Joannis de Deo à fundamentis instaurati. Mexici in eadem Officina 1729, in quarto.

Ignis gloriosissimi S. Joannis à Cruce inter Sanctos relati, è vivifico Sacramenti altaris igne mutatus. Sermo apud nudipedes Carmelitas Mexici habitus sexta die solennissimi festi Canonizationis ejusdem Divi. Extat unâ cum multis id argumenti Opusculis in *Secunda quintadecima Januarij Mexicana* pag. 435. Mexici, typis Josephi Bernardi de Hogal 1730 in quarto.

Phenix flammas inter Zacatecanorum exustus, denuoque redivivus: Sermo in ea Urbe habitus, novæ Crucifixi Imaginis causâ dedicationis, in combusta locum succedat. Mexici, litteris D. Mariæ de Ribera 1736, in quarto. Habetur tom. 14. Collect. nostræ.

Oratio funebris dicta in Exequijs R. P. F. Josephi Montes, Com-

missarij Generalis in Novâ Hispaniâ Ordinis S. Joannis de Deo. Mexici, eisdem typis & anno, in quarto. Extat in Collect. nostris tom. 33.

733 D. CHRISTOPHORUS SANCHEZ DE GUEVARA, Natione Mexicanus & Patria, in utroque statu prophano scilicet & Ecclesiastico insignis fuit. Matrimonio junctus, Causidicum egit celeberrimum, atque infula Doctoris in Jure Civili conspicuus, nec minus in Canonicis sanctionibus clarus, plures Academia Mexicanensis Cathedras rexit. Institutionum Imperialium primùm suggestui præfuit: mox Vespertino pro Romanorum jure explicando incubuit: Dein Vespertinum pariter pro Sexto Decretalium Libro tradendo sumpsit: tandem Decreti Cathedralam moderatus est, quo usque adimpleto vicennio Emeriti requie & honore potitus est. Tum verò Rector Academiæ datus, eo etiam strenue defunctus est munere. Morre conjugis, prophanis se abdicans, initiatusque Sacerdotio, ad Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicatum evectus, & postmodum Mesochorus creatus, 7 Novembris anno 1644 casu sanguine exhaustus obiit. Non dum eo tempore usus tenuerat Academicus Mexicanus, Antecessorum Elucubrations in Tabularium & Libros redigere, qua propter scripta Nostri, quæ dubio procul multa fuerit & perdocta, signatius indi-

care prohibemur, contenti Opusculum innuere, quod editum vidimus, tacito tamen nomine typographi pro ætatis consuetudine. Est autem illud hispano sermone *Testimonium in jure de Comitibus Provincialibus à Religiosis Augustinianis Regni Michoacanensium habitis.* In folio anno 1632. Extat tom. 3. Collect. Mendoziana.

Authoris meminit Plaza in Chronicis Academicis Lib. 4. cap. 17. n. 147.

734 M. F. CHRISTOPHORUS DE SOTOLONGO, Natione Mexicanus, Patria Habanensis, Professore Dominicanus, abjectâ prædivitis opulentia Domus paterna, nihilque nobilissimâ moratus stirpe, seculo se abdicavit, in Conventum S. Joannis Lateranensis Urbis Habanensis Primarium Sacri Præd. Ord. anno 1672 die decima Novembris receptus. Scholæ Palestam, tradendo, quas ibidem acceperat, Philosophiam atque Theologiam, ubi dimensus fuerat, Magisterij bravium accepit, nec propterea otio indulgit & quieti, imò solennius se sacris Biblijs studendis PP. atque Interpretum Voluminibus consultandis, idque genus se dedit, tanta inde eruditione locuples, ut, cum modestissimus esset, dixerit tamen datâ vocatione, paratum se esse ad quotidianè dicendum integro mense de Beatissima Mariæ Virginis laudibus, atque ejusdem Rosarij præconijs (erat sane eju) mysterijs